



Phæn. IV.
ejusque
causa.

Cùm enim acum A B (Vid. Fig. 45. num. 2.) filo subtilissimo subjectæ tabulæ ope ceræ agglutinato alligassemus, admoto paulò propiùs ejus mucroni magnete non solum jacentem erigere, sed erectam postmodum servare promptum erat; vidimusque sic erectam magno conatu versus magnetem eniti (id quod tensum infernè filum satis testabatur) & moto in orbem magnete acum etiam quasi volantem sequi, mirando prorsus & jucundo spectaculo: quod tamen, si magnetica attractio ex aëris pulsione pendet, causam habet manifestissimam. Aëre enim inter magnetem & acûs mucronem medio ab effluviis magneticis expulso, reliquis aciculæ corpusculum undiquaque premens ac pellens, non aliò compellere poterat quàm versus eum locum, in quo nulla erat aut valdè debilitata resistentia. Inferebamus autem hinc loco corollarii: Id quod de Mahometis capulo ferreo fabulosè vulgò